

tantillum ipsum detinens, donec accedente digiti pulsu esset disrupta; quemadmodum constat aciculas leviores in suprema stagnantis aquæ superficie leniter repositas quiescere, ab uligine vel cuticula simili tantisper sustentatas, quâ semel ruptâ nullibi porrò hæsitant. At enim cur primâ statim vice non hæsitavit annulus, ab eadem uligine detentus? Credo ideò id tum non esse factum, quòd aurum tum adhuc purius specificum suum pondus illæsum salvumque exerceret; deinceps autem, cum nemini sit ignotum, quàm promptè se innuet è vestigio Mercurius in auri poros, aliquantum jam imminutum sufflaminari faciliùs posset. Quæ ipsa quoque causa est procul dubio, quòd ignobilius aurum difficiliùs mergatur, quia sc. ob admixtas adhuc impuritates specifico pondere necessariò aliquid decedit. Compositum enim seu mixtum è graviore & leviore necessariò levius est graviore puro, si sint æqualis utraque magnitudinis.

Causa 4.
Phæn.

Causa 5.
Phæn.

CONCLUSIO III. His verò rectè perceptis Phænomeni quinti ratio pariter est in propatulo. Recens ovum plus habet ponderis quàm tantundem aquæ dulcis, h. e. si ovum ad bilancem expendatur exactissimè, & postmodum, interioribus ejus per foramen exiguum effusis, aqua dulcis omnem ejus cavitatem expleret; hæc aqua, unâ cum aliquo ejusdem superpondio quod testæ tenui corpusculo responderet, minoris est ponderis quàm ovum priùs fuerat. Igitur ab ovi corpore pressa moles æqualis aquæ dulcis huic necessariò cedit mergique illud patitur. A sale autem multo imprægnata aqua redditur seipsâ gravior, ita ut aquæ sale saturæ tantundem, quantum ovi prædicti cavitatem expleret ac testam insuper exæquaret, plus habeat ponderis quàm tantundem aquæ dulcis & plus etiam quam ipsum ovum adhuc integrum. Quamobrem ipsa sibi locum inferiorem poscens, ovum attollit, sibi que innatare facit: Et hoc est specificè gravius esse.

CONCLUSIO IV. Vix autem est ovum ovo similius in præsen ti negotio, quàm hygrostathmica nostra machinula,